Quelle: http://manuscripta.at/?ID=1843
Copyright: Wien, Schottenstift (Benediktiner)

luit et erant instructos / Nonne facit nec tamen conficit In-
vitat Canius postea die familiares suos. Venit ipse ma-
ture scalmum nullum videt querit ex proximo vicino nu-
ferie quedam piscatorum essent quod eos nullos videret / Nulle
quod sciam inquit / Sed hic piscari nulli solent / Itaque mira-
bar heri quid accidisset / Stomachari Canius sed quid faceret
Nondum aquilius collega et familiaris meus protulerat de
dolo malo formulas In quibus ipsis cum ex eo quereretur quid
esset dolus malus respondebat cum esset aliud simulatum a-
liud actum / Hoc quidem sane luculente ab homine perito
diffiniendi . ergo et phithius et omnes aliud agentes
aliud simulantes perfidi improbi maliciosi / Nullum igitur
eorum factum potest esse utile cum sit tot viciis inquinatum /
Quod si aquiliana diffinitio vera est ex omni vita si-
mulatio dissimulatioque tollenda est Ita nec ut emat
melius nec ut vendat quicquam simulabit aut dissimulabit
vir bonus / Atque iste dolus malus et legibus erat vi-
dicatus ut tutela xii tabulis circumscriptio adolescentium
lege latoria et sine lege iudiciis in quibus additur ex
fide bona / Reliquorum autem iudiciorum hec verba maxime
excellunt In arbitrio rei uxorie melius equius In
fiducia ut inter bonos bene agier / Quid ergo aut in eo
quod melius equius In fiducia ut inter bonos bene agi-
er quicquam agi maliciose aut dolose potest dolus autem ma-
lus in simulatione ut ait aquilius continetur / Tollendum
est igitur ex rebus contrahendis omne mendacium non
licitatorem venditor nec qui contra se liceatur emptor
opponet uterque si ad loquendum venerit non plus quam
semel eloquatur Quintus quidem scevola publii filius

Exheredatio et fraudatio pu-
erorum punitur lege quam
tulit latorius et fraudandi
dolus esse condicebat sine
lege quia quocumque casus incide-
bat de quo certa lex non fuit
et tunc gerebatur iudicium ali-
cui qui bona fide dicebat si-
cut hoc etc.